

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3882

Auteur(s) : Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Bénéficiaire(s) : France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, juillet

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

L'abbé et les moines de Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives notifient le règlement du litige survenu entre eux et le bailli de Caen sur le droit de haute et basse justices et celui de justice de sang dans leur terre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 951, p. 240-241.

Texte établi d'après a

Omnibus presentes litteras inspecturis, abbas et conventus beate Marie de sancto Petro super Dyvam, salutem in Domino. Notum vobis facimus quod, cum inter nos, ex una parte, et baillivum Cadomensem, nomine domini regis, ex altera, contentio verteretur, super hoc quod nos dicebamus nos habere omnimodam justiciam altam et bassam seu ad placitum spade pertinentem de universis casibus et querelis que accidere possunt in terra nostra, ex dono et concessione Henrici quondam regis Anglie et ducis Normannie, excepto placito de expeditione sua et duello de moneta, si exinde duellum oriatur, nosque diceremus nos exercuisse et exercendo tenuisse dictam justiciam a tempore donationis et concessionis predicte, et ad docendum de jure nostro parati eramus ostendere cartam predicti regis Henrici, et, ad declarandum usum et possessionem nostram, offerebamus nos probaturos usos fuisse dicta justicia in casibus seu articulis qui sequuntur, videlicet : de rebus gayvis, de dividendo cursus aquarum, vias et cheminios, de faciendo justiciam de falsis mensuris et ponderibus, de tenendo placitum de fraragio, de dote, de retractu per bursam, de maritagio incumbrato, de recognitione per duodecim homines, de gagio et plegio, quod justicia facta est in loco ubi non potuit fieri nec debuit, de dono indecenti, de sanguine et plaga cum clamore et harou, de mehaignio, de muldro, de raptu, de capiendo malefactores, et de detinendo eos ultra diem et noctem, et de faciendo justiciam de ipsis post octo dies et amplius, predicto bailliivo Cadomensi et gentibus domini regis pro ipso e contrario dicentibus, dictam videlicet altam justiciam seu placitum spade ad ipsum pertinere debere, et se nomine ipsis usos fuisse dicta justicia in articulis supradictis ; tandem inter ipsum dominum regem, ex una parte, et nos, ex altera, dicta contentio sopita est in hunc modum, videlicet quod ipse dominus rex de universis articulis superius nominatis cognitionem habebit, ita quod de omnibus et singulis obventionibus, proventibus et expletis exinde provenientibus, nos dicti abbas et conventus, per manus gentium domini regis, medietatem integre et perpetuo possidebimus et habebimus, deputato a nobis serviente nostro proprio cum gentibus ipsius, qui videbit predicta expleta fieri et expletari in casibus supradictis pro jure nostro conservando, salva nobis forisfactura hereditatum tenencium nostrorum post perceptionem sue medietatis fructuum primi anni. Remanet autem nobis in aliis casibus omnimoda justitia exceptis solummodo placito de expeditione sua et duello de moneta, si exinde duellum oriatur,

que sibi et suis successoribus vult in perpetuum remanere. Que ut perpetue stabilitatis robur obtineant, presentes litteras sigillorum nostrorum duximus impressione munire. Actum anno Domini M^o CC^o LXXX, mense Julio.